





~~11-58~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-58  
SIGNAT. clvccccxiii.





LECTORI BENEVOLO,

EIDEMQUE  
DEHINC, UT SPES EST, FUTURO  
SPECTATORI, AUDITORI,  
ÆSTIMATORI,  
QVAM APTO. TAM OPTATO,  
CUM DEBITA HONORIS PRÆF.


S. P. D.

CHRISTIAN. TIMOTH. DUFFTIUS, M.

IN GYMNAS. ERFURTENSI SENATORIO  
PROGYMNASMATUM ELOQVENTIÆ  
SOLUTOR. LIGATORUM Q.  
H. T. PROF.







**D**aganum magis quàm Christianum est, quod publicas inter icones circumfer-  
tur simulacrum, æri tabulato incisum, excu-  
sumq; tale: *PORTA VITÆ* scilicet *HUMANÆ*, ad me-  
dium parietem, lapidibus quadratis muratum columnatumq;  
fornicata patere mortalibus conspicitur: hanc ut primum  
natus ingreditur, fit *LUDIBRIUM FORTUNÆ ET VANITATIS*, *HOMO*,  
sicut in fornice legitur. Ingredientem quippe sors statim excipit dubia, fallit  
prospera, vexat adversa: qualem, sub introitu Portæ hujus pervio, representat  
Fœmina quædam, corpore tenuiter velato & agitabili, crinibus item solutis &  
dextrorsum, quò vultus spectat, provolantibus: eaq; sinistro pede volubilem glo-  
bum, hinc torque & pecuniâ insignem, illinc inanem & unum serit infra: su-  
perius levatâ apertâq; dextrâ coronam, lituum, craterem, crumenam, nummos  
aureos argenteosq; dignitatum & divitiarum symbola, dissipatur: à manu ve-  
ro sinistra demissâq; frenum angustie, nec non lupatum afflictionis pendent, qui-  
bus efficit, constringit, exercet infelices. Postremo ad utrumq; latus vestibuli,  
reclinare super antibus videntur duo Philosophi: quorum alter, *DEMOCRI-  
TUS* Abderites, profectas quasi à Fortuna res humanas, tanquam vani-  
tates & ineptias ridet: alter, *HERACLITUS* Ephesius, ut calamitates & mi-  
serias deslet.

Hæc, inquam, imago quamvis exteriori aspectu utcunq; scita & e-  
legans appareat, quòd mortalium tum actionibus plerumq; vanis stoli-  
disq; risum; tum casibus varijs miserisq; fletum tribuere de condigno  
videtur: pietatis tamen punctum ferre nequit, penitiùs considerata. Est  
enim gentile & impium, mutare gloriam incorruptibilis DEI, ad corru-  
ptibilis cujusdam hominis similitudinem imaginariam: & Fortunæ, ne-  
scio cui, adscribere sortes nostras, quæ sunt Providentiæ solius divinæ: de-  
niq; muliebri potiùs idolo, quàm imperio cœlesti res humanas submitte-  
re. Nec solerter admodum, aut tutò satis, apud *JOAN. BARCLAJUM*,  
Autorem ex recentioribus classicum, locupletissimumq; juxtà ac latinis-  
simum, sua in Argenide Sacerdos quidam Antiatis Fortunæ, cum Ar-  
sida disputans hospite, cultum illius Divæ religiosum seriumq; (ut putat)  
à superstitione

Rom. 1, 27.

lib. 4 pag.  
310. lin. 13.  
edit. Argen-  
sino.



à superstitione vulgi distingvit, hisce verbis: *Quid sit, quod Fortuna nomine colimus (hospes!) adeò vulgus ignorat, ut mysterij sanctitatem propemodum contraria interpretatione corruperit. Fortunam appellant, quicquid incertum est: volunt autem incertum, quicquid habet eventus humanis mentibus incognitos. Ideò levem Deam, ideò cæcam fingunt, & plus vitij numini, quod colunt, imputant, quàm ferrent in homine, ut nec certum sit, sapius ista Dea ab insanis probra ferat, an sacra. Si quid peccant, si quid expectatione fefellit, continuo Fortuna vapulat. Exprobrant, quòd malos evexerit, quòd difficilis bonis, cavere videatur, ne probè quid judicet. Nec miseri vident, ejusmodi Fortunam non divinum aliquid esse, sed superstitiosi animi ludibrium, qui sua ipse commenta per superfluas curas timet & placat. Tandem post cætera: Vides, inquit, ut Fortunam sustuli, hospes! non illam quidem, quam colo; sed quam imperiti constituunt, & quæ cum summâ illâ Mente convenire non potest, quæ omnia suò arbitriò constituit, quæ naturam condidit, quæ rebus causas dedit, easq; perpetuò abditissima ratione propagat. Quasi verò Mens illa numinis provida, qualem confitetur sacrificulus, nomine vel signo Fortuna tam frivolo, tam crasso, tamq; inepto coli se velit: aut proclivior ætas à corripiente tali sive nomine sive signo in eandem vulgi superstitionem, vel potius impietatem trahi non possit. Verùm de Fortuna, simulacri hujus principe, uberiùs disserendi occasio dabitur alia.*

Nunc quoniam hodierna Evangelij pericope miram in theatro hujus vitæ scenam, quò illa intromittit Porta, inverso planè habitu peragi, pijsq; ut plurimum inter ærumnas lamentantibus, impios super vanitate sua gaudere contrà docet; haut intempestivum fore arbitror: si *Porta* ejusdem theatri *theatricè* pariter exhibita tali, qualem descripsi, tres ex Lingvar. Artiumq; LL. Cultoribus, fidei nostræ commisis, Adolescentes indole, studio, moribus florentissimi, ulterioris interpretamenti nec non in dicendo exercitij gratiâ, suam quisq; sententiam, *quid de publico tum risu Democriti, tum fletu Heracliti statuendum sit, decenter explanaverint. Oratione igitur*

*I. FRANCISCUS Koch/ Erffurtensis, propugnabit DEMOCRITUM, ostensurus: quid ille potissimum, & quàm non indigno risu prosequutus fuerit olim, hodieq; prosequuturus esset inter homines.*

*II. TOBIAS Schmidt/ Cygnæa-Misnicus, astipulabitur HERACLITO*

\* 2.





*RACILITO in lacrymas soluto, quotiescunq; mortales du-  
ris premi casibus, involviq; miserijs & calamitatibus cer-  
neret.*

*III<sup>a</sup>. JOHANNES Saurmann/ Erffurtens. colophonem im-  
ponet Actui, modòq; hòc philosophandi usròq; repudiatò,  
sententiam subjiciet definitivam.*

Thema hoc ( quod Ter Opt. Max. ratum esse velit! ) & occasione  
jam datâ dictâq; non importunum; & materie, homini cum primis rena-  
to dignoscendâ, congruum; & varietate, ab Exercitationib. Virtutum  
nostrarum ordinarijs interstinctâ, delectans; & configuratione, per ma-  
num Apelléam repræsentatâ, spectabile; & brevitate, vix unius horulæ  
moram excedente, haut ingratum; memoriter ac publicè pertractabitur  
in Acroaterio Gymnasij nostratis Senatorij majore, die 29. Maji, hora 2.  
pomerid. ante clausulam Examinis tum habiti vernalis.

**VENI, VIDE, AUDI**

**LECTOR!**

**QUICUNQUE LITERIS HUMANIORIB.**

**OLIM VEL NUNC DEDITUS,**

**NOSTRIS**

**ABHINC FAVES**

**STUDIIS PARIBUS:**

**IDEOQ.**

**CULTUM ET AMOREM MERERIS DIGNISSIMUM**

**SORTE TUA, NOSTRAQ. PARATISSIMUM**

**INVITATIONE, MENTE,**

**OPERA.**

**VENI OBSECRO, ET VALE!**

---

**P.P. ERFFURT. DOM. JUBILATE, D. II. MAJII, A. M. DC. LVIII.**  
**TYPIIS FRID. MELCHIORIS DEDEKINDI.**





Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3  
002 686 287



Sb,

VD17  
Sep. 2000 Pd.









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13



NEVOLO,

EST, FUTURO  
UDITORI,  
ORI,  
M OPTATO,  
ORIS PRÆF.

D.  
H. DUFTIUS, M.  
NSI SENATORIO  
LO QVENTIÆ  
DRUM Q.

